

1361. pag. 1624. n. 4. *LAPSANA communis*. Varietas hirsuta Parisiis venit, et in Galiciæ quoque arvis sponte crescit.
1362. ibid. *ZACINTHA verrucosa*. In definitione citata calyces sessiles dicuntur; in descriptione „flores sessiles“ et ibidem quoque „pedunculi incrassati.“ Sunt omnino flores inflorescentiâ *Cichorèi Endiviæ* pedunculati: at pedunculi nullo modo incrassati.
1363. pag. 1625. *RHAGADIOLUS edulis*. Folia hirta. Calyx 5—6 phyllus, foliolis sæpe contortis. Semina 5—8 in stellam patentia.
1364. pag. 1628. n. 1. *CTCHOREUM Intybus*. Flores gemini et bigemini ut in *Cichoreo* divaricato.
1365. pag. 1628. n. 2. *CICHORIUM pumilum*. Cichorium hocce nomine ex seminibus natum a Do. Kitabel missis *Cichorium pumilum Sp. pl. Willd. l. c.* non est: sunt equidem flores axillares sessiles gemini et solitarii: at sunt quoque longe pedunculati. Subjungam descriptionem: radix annua, caulis sesquipedalis villosus-hispidus, villis longis flexuosis. His et pedunculi et calyces vestiuntur, foliaque carina inde et margine ciliata sunt. Folia inferiora obovata, dentata, superiora cordato-lanceolata, amplexicaulia. Flores in apice pedunculi ad basin calycis bracteis stipantur 2 oppositis cordatis ciliatis inter quas foliola 3—4ve calycem calyculatum efficiunt latiora, inæqualia. Corollæ pauciores in radio, apicibus contractis, subconcavis, cærulescentes. Cum *Cichorium pumilum* nondum vidissem, et nostrum ab eo tantopere discrepat, erit nobis interim nostrum:  
*CICHORIUM ambiguum*, floribus sessilibus axillaribus pedunculatisque, pedunculatis solitariis bracteatis, foliis inferioribus obovatis dentatis, superioribus integris cordatis, amplexicaulibus.
1366. pag. 1629. n. 4. *CICHOREUM divaricatum*. Caulis magis glaber, folia denticulata, ciliata, pedunculi tenuiores, longiores.
1367. pag. 1630. n. 1. *SCOLYMUS maculatus*. Folia nitida.
1368. pag. 1630. n. 2. *SCOLYMUS hispanicus*. Flores subinde (apud nos primo anno floruit) solitarii. (Folia